

summa: historia quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et qualibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur: me vero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Auunculus meus, idemque per adoptionem pater, historias, et quidem religiosissime, scripsit. Inuenio autem apud sapientes, honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. Cur ego cunctor? Egi magnas et graves causas. Has (etiamsi mihi tenuis ex eis spes) destino retractare, ne tantus ille labor meus, ni hoc, quod reliquum est studii, addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. Dices, potes simul et rescribere actiones, et componere historiam. Utinam! sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere. Undevicesimo aetatis anno dicere in foro coepi, et nunc demum, quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem, video. Quid si huic oneri novum accesserit? Habet quidem oratio et historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat sane ipsa; narrat haec, sed aliter. Huic pleraque humilia et sordida, et ex medio petita; illi omnia recondita, splendida, excelsa conueniunt. Hanc saepius ossa, musculi, nerui; illam tori quidam et quasi jubae decent. Haec vel maxime vi, amaritudine, instantia; illa tractu et suavitate, atque etiam dulcedine, placet. Postremo alia verba, alius sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, κτῆμα sit, an ἀγώνισμα: quorum alterum oratio, alterum historia est. His e causis non adducor, ut duo dissimilia, et hoc ipsa diversa, quod maxima, confundam misceamque, ne tantum quasi colluvione turbatus ibi faciam, quod hic debeo. Ideoque interim veniam, ne a forensibus verbis recedam, advocandi peto. Tu tamen iam nunc cogita, quae potissimum tempora adgrediamur. Vetera et scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio;